



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus XIII. Argumentum. Reservato Jurepatronatus favore Primogeniti de  
familia, an, & quando in eo succedere possit fœmina?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](#)

bantur omnes hæ tres prærogativæ inter illos de familia, primò tamen præferendo in nominando qualitatem magis importantem, quod est Patronus; Quinimo sicut de proximioritate nulla fuit habitamentio in fundatione; oporteret, si quoquo modo argumentum procedere posset, inferre, quod Fundator desideraverit etiam proximioritatem, de qua nullum, ut diximus, verbum in fundatione; Unde talis expressio, & subextorta observantia, vel tamquam in semetipsa non existens, vel tamquam erronea, vel saltè tamquam æquivoca nequibat in aliquo attendi, aut quidquam operari, ex passim collectis quoad observantiam non existentem, & erroneam, per *Palm. Nep. alleg. 153. n. 66.* & *Rot. in decis. 16. n. 16. par. 6. rec.*, & quoad observantiam æquivocam *Card. de Luc. de Regal. diss. 68. n. 5.* & *de jurepatr. diss. 60. n. 12. Rota coram Buratt. dec. 464. nu. 6. & dec. 414. nu. 22. par. 19. tom. 1. rec.* & alibi passim.

Et ita utraque &c.

#### ARGUMENTUM.

Reservato Jurepatronatus favore Primogeniti de familia, an, & quando in eo succedere possit fœmina?

#### S V M M A R I U M .

- 1 Fundator reservando juspatronatus favore Primogeniti familie videtur respxisse ad agnationem.
- 2 Observantia declarat qualitatem jurispatronatus.
- 3 Fœmina succedere potest per posterius, & in defectum masculorum linea Primogeniti in jurepatronatus Primogenitali. Et quare? Vide num. 4. Amplia, ut nu. 6. 7. & 8.
- 5 Fœmina est capax succedendi in jurepatronatus gentilicio, aut mixto.
- 9 Fœmina est capax succedendi in jurepatronatus primogenitali, etiam si esset nupta in aliena familia; & quare? Vide ibi.
- 10 Et etiam si professionem emisisset in aliqua Religione capaci acquirendi, & retinendi bona.
- 11 An fœmina succedere possit per posterius in jurepatronatus primogenitali, si occasione matrimonii, aut professionis in Religione, validè renunciaverit omnia bona, & ju-

ratam paterna, quam materna. Vide ibi, & num. 12. usque ad 14.

15 Fœmina quoisque vivit dicitur de agnatione, & in ea conservatur juspatronatus agnatum.

16 Ex unico actu, an, & quando induci possit observantia interpretativa?

17 Fœmina succedere non potest in jurepatronatus primogenitali, nec per posterius concurrentibus conjecturis, de quibus num. 18. 19. & 20.

#### C A S U S XIII.

**I**n gresso Jurepatronatus Primogenitali in linea Primogeniti, si contingat in ea deficere omnes masculos, & superesse solum fœminam, in sequelam præcedentis Casus, quero an hæc succedere possit in Jurepatronatus favore Primogeniti Familia, seu Domus reservato, defectis omnibus masculis linea Primogeniti. Vel potius fieri debeat transitus ad secundam lineam, & in eo succedere debeat filius masculus Primogenitus de linea secundogeniti, ad exclusionem fœminæ de linea Primogeniti?

In hac quæstione respondendum videtur fœminam, defectis masculis de linea Primogeniti, succedere non posse in hoc Jurepatronatus. Quoniam Fundator in reservatione Jurispatronatus favore Primogeniti Familia, seu Domus, videtur respexisse ad Agnationem; cum nomen Primogeniti, sicuti nomen Senioris, & Antiquioris de Domo, Familia, Cippo &c. sit nomen significans veram, & propriam Agnationem, & ejus mens fuisse conservare Juspatronatus in Agnatis, inter quos consumerari non videtur fœmina, quæ non conservat propriam, sed alienam Agnationem. *Gratian. disscept. forens. 645. n. 1. Ciarlin. controv. forens. 107. nu. 76. & seqq. Andreol. controv. 218. n. 2. Rot. decis. 313. n. 4. coram Pamphil.*

Quodque hanc fuisse mentem Fundatoris non comprehendendi fœminam sub nomine Primogeniti de Familia, seu Domo, satis resultaret, si defectis omnibus masculis primæ linea masculus Primogenitus secundæ linea præsentasset, & ejus præsentatus institutus fuisset. Observantia enim utpote cuiuscumque dispositioonis interpres non solùm declarat qualitatem Jurispatronatus, sed etiam quales per-

personæ in eo comprehendantur. *Gratian.* discept. 521. n.7. & 19. Rot. dec. 563. n.9. & seqq. coram Merlin.

3 At his nullatenus attentis censeo in hoc casu fœminam per posterius, & in defectum masculorum linea Primogeniti succedere debere in Jurepatronatus primogeniali, seu reservato favore Primogeniti de Familia, Domo, aut Cippo &c. ad exclusionem masculi Primogeniti secundæ linea. Quoniam, ut dixi in Casu præcedenti §. *Certe*, ingresso Jurepatronatus in linea Primogeniti non potest fieri transitus ad secundam lineam, nisi prima penitus evanescatur, & defectis omnibus in ea contentis, juxta auctoritates ibi relatas, quibus addo Rot. in Romana Jurispatronatus 3. Junii 1705. §. Ex lectura coram Reverendiss. Molines Decano, & 20. Junii 1707. §. *Justitia* coram Eminentiss. Scotto, & 1. Junii 1708. §. *Sententiarum* coram R.P.D. Ansaldo, ac proinde defensis omnibus masculis linea Primogeniti, si in hac reperiatur fœmina descendens ab ultimo masculo, cum hæc dicatur de linea Primogeniti, & quousque vivit, conservet Agnationem, non poterit ab ea eveli Juspatronatus primogeniale; sed hoc ad ipsam spectabit, ad exclusionem masculi Primogeniti. *Molin. de Primog.* lib. 3. cap. 4. nu. 4. & seqq. *Torr. de Primog.* tom. 1. cap. 25. §. 4. n. 36. *Tondut. quest. benef.* par. 3. cap. 157. nu. 33. Rot. in Comen. Cappellaniæ 4. Maij 1703. §. *Sublata* coram Eminentiss. Priolo, & in Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1705. §. *Quoniam*, & 16. Martii 1708. §. *Stabilita*, & 3. Junii 1711. §. *Certe*, & §. *Profectio* coram R.P.D. Ansaldo, & in Balneoregien. Beneficii 21. Januarii 1707. §. *Quatenus* coram R.P.D. Kaunitz, & in terminis Rot. in Spoletana. Jurispatronatus 19. Junii 1705. §. *Pugnabitus* cum seqq. coram R.P.D. Omanna, & in Lunen. Sarzanen. Jurispatronatus 1. Febr. 1715. §. *Super accedebat* coram Eminentiss. Scotto.

4 Ratio est, quia in casu præsenti reservatio Jurispatronatus fuit à Fundatore concepta sub nomine collectivo apto comprehendere, & includere etiam fœminas, nimur sub nomine Primogeniti de Domo, Familia, aut Cippo &c. quod comprehendit etiam fœminas, dum istæ descendentes ab ultimo masculo de fami-

lia dicuntur de Domo, & Familia. *Molin. de Primog.* lib. 3. cap. 4. nu. 8. & seqq. Quo casu licet fœmina extantibus masculis linea primogenitalis remaneat in suspenso, prohibetur, & sit exclusa à Jurepatronatus primogeniali. *Rot. in Comen. Cappellaniæ* 4. Maij 1703. §. *Subsistere* coram Eminentiss. Priolo. Tamen masculis defectis est capax succedendi in Jurepatronatus non solum primogeniali, sed etiam gentilitio, aut mixto. *Rot. decis.* 69. num. 2. post Vivian. de jurepat., & in Mantuana Beneficii coram Ursin. impress. apud meum Praeceptorem post discept. Eccles. 14. per tot., & decis. 527. n. 3. par. 14. rec., & decis. 313. n. 16. coram Pamphil. Quidquid secus esset si reservatio non fuisset concepta sub nomine apto comprehendere etiam fœminas, juxta distinctionem, quam tradit Gabriel. cons. 132. q. 5. per tot.

6 Fœmina igitur de linea Primogeniti excludi non potest ab hoc Jurepatronatus primogeniali à Transversalibus masculis secundæ, & tertiaræ linea, & multò minùs ab aliquo extraneo, nimur ab Ordinario, si iste in casu, quo in tota familia nullus adesset masculus, & unica reperiatur fœmina, prætenderet illam excludere à successione hujusmodi Jurispatronatus, & Beneficium esse liberæ collationis, tunc enim fœmina in eo omnino succedere deberet ad exclusionem extranei Collatoris, juxta præsumptam mentem Fundatoris, qui semper de jure præsumitur admittere voluisse eos de propria familia, & de sanguine in exclusionem extraneorum. *Lambertin. de jurepat.* lib. 1. par. 1. q. 1. art. 4. nu. 11. Rot. in Balneoregien. Beneficii 21. Januarii 1707. §. *Quod ita* coram R.P.D. Kaunitz.

7 Et quidem fœmina superstes in linea Primogeniti succedere potest in Jurepatronatus primogeniali ad exclusionem masculi Primogeniti secundæ, aut tertiaræ linea, etiam Juspatronatus fuisset reservatum Primogenito cum dictione filii. Ex. gr. dispositum fuisset, quod in Jurepatronatus succedere debeat filius Primogenitus, cum sub nomine filii comprehendantur etiam fœmina, ad Text. in l. filii appellatione ff. de verb. signif. Fusar. de subf. q. 311. per tot. Rot. decis. 122. nu. 22. cum seqq. par. 19., & in Ferrarien. fideicommissi 18. Martii 1707. §. Minus urgeré coram

8 coram Eminentiss. Priolo . Et etiamsi idem Juspatronatus fuisset reservatum favore Laici Primogeniti de Domo per lineam masculinam , dum foemina immediatè descendens à masculo verè dicitur de Domo , & per lineam masculinam descendens ; hæc namque verba per lineam masculinam important masculinitatem in Generante , non verò in Generato : Text. in l. duodecim tabularum C. de legitim. bæred. Palm. alleg. 101. nu. 20. Rot. in Lunen. Sarzanen. jurispatronatus 1. Februar. 1715. §. Vocatione coram Eminentiss. Scotto .

9 Immo foemina de linea Primogeniti succedere possit in eodem Jurepatronatus primogeniali , etiamsi esset nupta in aliena familia . Ratio est , quia licet ejus filii , sive masculi , sive foemina ab ea descendentes non conservant , sed destruant agnationem , ac proinde isti succedere non possint in dicto Jurepatronatus , sed defectis omnibus tam masculis , quām foeminis linea Primogeniti fieri debet transitus ad masculum Primogenitum secundæ , aut tertiae linea . Rodulph. alleg. 34. n. 1. Peregrin. de fideic. art. 25. sub num. 47. Fusar. de subfict. q. 352. n. 9. & q. 499. n. 1. Rot. in Forosempionien. legatorum super fideicommissio Antonii 2. Maii 1712. §. Jure , & §. Et omnem coram R.P.D. Aldrovando . Tamen ipsa foemina , licet translata in aliam familiam quoisque vivit retinet jura agnationis . Surd. conf. 140. n. 63. Cyriac. controv. 271. nu. 89. Palma alleg. jur. tom. 2. alleg. 101. n. 28. Card. de Luc. de jurepat. disc. 30. n. 3. Rot. in Romana Cappellania 16. Martii 1708. §. Applicando coram R.P.D. Ansaldo , & in Valentina jurispatronatus 4. Decembbris 1713. §. Litera , & seq. coram R.P.D. Ansaldo , & 26. Junii 1715. §. Ratio coram R.P.D. Falconerio , & in dicta Lunen. Sarzanen. jurispatronatus 1. Februar. 1715. §. Quibus coram Eminentiss. Scotto . Et denique etiamsi professionem emisisset in aliqua Religione capaci acquirendi , & retinendi bona ; ea ratione , quia eo ipso , quod foemina professionem emisit in Monasterio capaci acquirendi , & obtinendi bona , dicitur servare jura proximitatis agnationis , & sanguinis , ad effectum successionis Bald. in l. prima n. 55. C. de Summa Trinit. & Fid. Catholic. Molin. de Primog. lib. 1. cap. 13. n. 73. Card. de Luea de jurepatr. disc. 20. sub n. 8. Rot. in Bo-

nonien. fideicommissi 28. Januarii 1707. §. Accedendo coram Kaunitz , & in dicta Valentina jurispatronatus 4. Decemb. 1713. §. final. coram R.P.D. Ansaldo .

10 An autem eadem foemina superstes in linea Primogeniti succedere possit per posterius in Jurepatronatus primogeniali , si occasione matrimonii , aut professionis in Religione validè renunciaverit omnia bona , & jura tam paterna , quām materna ?

Respondeo dupliciter foemina occasione conjugii sive temporalis , sive spiritualis renunciare posse , nimirum vel realiter renunciando absolutè , & simpliciter bona , nulla habita ratione , & contemplatione ad personas , vel personaliter , renunciando bona favore certæ personæ juxta duplitem speciem renunciationis realis , & personalis , quam distinguunt Doctores , præsertim Card. de Luc. de renunciat. disc. 1. n. 8. Palm. Nepos alleg. 293. n. 8. Rot. decif. 48. n. 18. post Merlin. de legit. & decif. 641. n. 32. coram Danoz. jun. & decif. 23. n. 4. par. 15. rec. Quomodo cumque foemina renunciaverit omnia , & singula bona , & jura tam paterna , quām materna , sive realiter , sive personaliter , potest per posterius succedere in supradicto Jurepatronatus à Fundatore reservato favore Primogeniti de Familia , aut Domo , vel etiam in Jurepatronatus Gentilitio , attentis tum mente Renunciantis , tum verbis .

11 Et quidem attenta mente foemina renunciantis , hæc non fuit renunciare etiam Jurispatronatus . Quoniam renunciatione supradicta aut fuit subsequens , aut antecedens ad reservationem Jurispatronatus favore Primogeniti de familia . Si fuit subsequens , cùm de tempore renunciationis extarent masculi in linea Primogeniti , non poterat foemina cogitare de successione in dicto Jurepatronatus , quæ solùm locum habet in casu inopinato deficitia masculorum de eadem linea , adeoque renunciando bona , & jura paterna , & materna , non censetur renunciasse successioni Jurispatronatus , de qua non cogitavit . Bardellon. conf. 30. nu. 43. lib. 1. Saminiat. controv. 73. sub n. 27. §. Removetur tom. 1. Rot. in Ariminien. successionis 16. Januarii 1708. §. Concurrit coram R.P.D. Aldrovando .

Si

13 Si verò fuit antecedens multo minùs in ea comprehendi potest dictum Juspatronatus ; quia cùm de tempore renunciationis successio in Jurepatronatus nec erat in re, nec in spe; Fœmina renunciando bona paterna, & materna, sicuti non poterat cogitare de Jurepatronatus , ita nec ei renunciare , *idem Bardellon. ubi supra n.45. Rocc. respons. 87. n.4. tom. 1. Rot. in Romana renunciationis 23. Januarii 1708. per tot. coram Eminentiss. Scotto.*

14 Attentis verò verbis renunciationis cùm hæc restricta sit ad bona , & jura paterna, & præfatum Juspatronatus non dicitur de bonis, & juribus paternis , dum non competit fœminæ ex persona patris, sed ex persona Fundatoris; sequitur, quod illud comprehendere non possit , cùm in materia renunciationis procedi debeat restrictivè, nunquam verò ampliativè eas intelligendo, itaut tantum capiant, quantum verba de necessitate sonant . *Rot. in Melevitana fideicommissi 1. Februar. 1710. §. Posita coram Eminentiss. Priolo, & in Ferrarien. fideicommissi 18. Martii §. final. & 1. Julii §. Præterea 1707. coram eodem, & in dicta Romana renunciationis 23. Januar. 1708. §. Siquidem, & 15. Junii ejusdem anni §. Nibilominus coram Eminentiss. Scotto.*

Probato ex his , quod fœmina de linea Primogeniti per posterius succedere possit in Jurepatronatus, non obstante superius in contrarium deducta . Etenim Fundator , licet in reservatione Jurispatronatus favore Primogeniti de familia , aut domo , respexerit ad veram , & propriam agnationem, non proinde sequitur exclusione per posterius fœminam descendenter ex masculo de linea Primogeniti , 15 cùm hæc verè dicatur de agnatione, & in ea conservari Juspatronatus agnatuum primogeniale, ex auctoritatibus superius relatis §. At his , quibus addo *Rot. in Romana Cappellania 16. Martii 1708. §. Aß etiam, & 3. Julii 1711. §. Certè, & §. Eò que forius coram R.P.D. Ansaldo, & in Valentina jurispatronatus 4. Decemb. 1713. §. Nibilominus coram eodem.*

16 Nec adversaretur, si defectis omnibus masculis primæ linea , non fœmina ibi existens , sed masculus Primogenitus secundæ linea præsentasset , & ejus præsentatus institutus fuisset . Ex hoc enim actu

*Pars II.*

nulla deduci potest observantia , & interpretatio mentis Fundatoris non comprehendendi fœminas, nec per posterius; Quoniam aut fœmina habuit scientiam existentie hujus Jurispatronatus, ejusque purificationis ad sui favorem , aut non ; Si non habuit scientiam, contra ipsam nulla inducta est observantia , si scientiam habuit, debet hoc probari , ad hoc , ut contra eam ex hac taciturnitate induci posset observantia , illique præjudicium irrogari , & etiam hoc probato non relevaret , cùm vigore supradictæ reservationis Jurispatronatus clare comprehendantur fœmina , itaut non possit esse locus observantiae interpretativæ in contrarium . *Fattinelli. respons. 16. n. 4. Rot. in Melevitana fideicommissi 1. Februar. 1710. §. Vis nulla coram Eminentiss. Priolo.*

17 Hæc omnia procedunt attenta dispositione juris communis , cæterum si concurrerent conjecturæ relevantes in contrarium, aut Statutum, seu lex municipalis , ex quibus argui posset Fundatorem recedere à dispositione juris communis , & omnino fœminas excludere , tunc fœmina non esset capax succedendi nec per posterius in Jurepatronatus primogeniali, sed defectis omnibus masculis de prima linea fieri deberet transitus ad secundam lineam *Torr. de Majorat. cap. 25. §. 5. n. 53. Rot. in Melevitana fideicommissi 21. Febr. 1710. coram Eminentiss. Priolo.*

18 Prima autem conjectura esset si Fundator reservasset Juspatronatus pro se , & filio Primogenito per rectam lineam masculinam descendente, qua defecta substituisset Primogenitum masculum linea fuardum filiarum ; tunc enim si in prima linea vocata adesse fœmina , aut masculus descendens ex fœmina , nec illa, nec iste succedere posset in Jurepatronatus primogeniali , defectis masculis per lineam rectam masculinam descendantibus , sed fieri deberet transitus ad masculum secundæ linea substitutæ ; ea ratione , quia cùm in substitutione Fundator excluderit proprias filias, præsumitur etiam in institutione exclusisse neptes , aut proneptes , & quia nec fœmina, nec masculi descendentes ex fœmina sunt de linea recta masculinæ , dum hæc solùm efformatur per masculos ex masculis, *Molin. de Primog. Hispan. lib. 3. cap. 5. n. 69. Fusar. de substit. q. 346. n. 17.*

32. & seq. Rot. in Faventia jurispatronatus 12. Junii 1711. per tot. coram R. P. D. Ansaldo.
- 19 Secunda, si Fundator reservasset Juspatronatus favore Primogeniti familiæ fæminis semper exclusis, tunc foemina, defensis masculis prime linea, succedere non posset in Jurepatronatus, Rodulph. alleg.
34. n. 5. Rot. in Foro Sempronien. legatorum super fideicommissio Antonii 2. Maii 1712. §. At respectu coram R.P.D. Aldrovando.
- 20 Tertia conjectura esset. Si Fundator reservasset Juspatronatus favore suorum descendientium masculorum de primogenito in primogenitum, tunc foemina non posset succedere in hoc Jurepatronatus nec per posterius, quia non comprehenditur sub nomine masculorum, Rot. in Mediolanen. Cappellania 23. Martii 1703. §. Fundatorem coram Reverendiss. Molines Decano. An autem hoc casu succedere possit in eo Primogenitus masculus ex foemina, vel solum Primogenitus masculus ex masculo, dicendum est succedere posse non solum Primogenitum masculum ex masculo, sed etiam Primogenitum masculum ex foemina; cum nomen masculorum sit æquè prædicabile tam de masculo ex fæminis, quam de masculo ex masculis, Fulgos. cons. 5. 8. per tot. Castil. cap. 129. nu. 5. & seqq. lib. 5. Card. de Luc. de fideic. dis. 24. n. 5. nisi constaret de contraria mente Fundatoris, seu nisi hic nomine Descendentium masculorum intellexerit vocare solos masculos ex masculis. Gabriel. cons. 116. n. 1. lib. 2., & alii, quos referit Rot. in dicta Mediolanen. Cappellania §. Prima, & §. Verumtamen 23. Martii 1703. coram Reverendiss. Molines Decano.
- ARGUMENTUM.
- Reservato Jurepatronatus activo, vel passivo à Fundatore pro ejus Nepotibus, an illud censeatur reservatum tantum pro nepotibus ex fratre, vel pro nepotibus tam ex fratre, quam ex sorore?
- SUMMARY.
- 1 Juspatronatus relictum pro filiis, an censeatur etiam relictum pro nepotibus?
  - 2 Verbum nepos est collectivum, & aptum comprehendere omnes nepotes tam ex fratre, quam ex fratre, quam ex sorore; Et num. 19.
- 3 Vocatis à Fundatore ad juspatronatus nepotibus prius sunt admittendi nepotes ex filio.
- 4 Nomine nepotum ex communi usu loquendi veniunt nepotes ex fratre; Et n. 19.
- 5 Testator presumitur se conformasse communis usui loquendi.
- 6 Reservato jurepatronatus tam activo, quam passivo pro nepotibus equaliter sunt admittendi tam nepotes ex fratre, quam ex sorore. Et quare. Vide n. 8. Amplia ut n. 9. & 10. Limita ut n. 11. 20. 21. & 22.
- 7 Relicto jurepatronatus absolute à Fundatore pro ejus descendientibus indistincte in eo succedunt tam descendentes ex masculis, quam ex fæminis.
- 10 Referuntur conjecturae pro æquali comprehensione utriusque generis nepotum.
- 11 Numerantur conjecturae ex quibus arguit potest Fundatorem voluisse prospicere solum nepotibus ex fratre, aut pralativè ad nepotes ex sorore. Et num. 13. usque ad 17.
- 18 Cappellania est adjudicanda habenti qualitates à Testatore voluntas.
- 23 Beneficiorum incompatibilitas operatur, ut retineri non possit utrumque Beneficium, non verò quod obtinens primum non valeat secundum aequi.
- 24 Incompatibilitas an, & quando obstat retenioni, non autem affectioni Beneficii.

## C A S U S XIV.

**Q**uestionem movet D. Advocatus Pitionius Preceptor meus in ejus novo Tractatu de Controv. Patron. alleg.

An Juspatronatus relictum pro filiis censeatur etiam relictum pro nepotibus, & concludit affirmativè saltē subsidariè in defectum filiorum, ductus ex dispositione Textus in l. Liberorum §. Sed & Papirius, ubi sic habetur— Filii enim appellatio sèpe, & nepotes accipi multifariam placere — quem secuta est Rota in Romana fideicommissi de Alveris super reservatis 19. Junii 1711. §. Sed questionis coram R. P. D. Crispo; & ex multis rationibus, quas ibi eruditè deductas legere poteris. Ego verò in hoc casu quero, si Fundator Beneficij reservet Juspatronatus ad illud non pro filiis, sed pro ejus nepotibus, an illud censeatur reservatum tantum pro nepotibus ex fratre, vel pro nepotibus tam ex fratre, quam ex sorore?

Ut